

adhibitori Sapientiores, quos inter Primus Miesrobus, quem Sanctum appellant Armeni, collatis studiis aliam Scripturam Lingua sua magis convenientem, et Characteres haicanos sonos accuratius exprimentem parare studuerunt; quod et feliciter tandem non sine miraculo Miesrobo cessit. Ditata proprijs Characteribus Haicanam Linguam Miesrobis, et Isaacus magis, ac magis uberiorem phrasibus reddere instituunt. Quem in sinem lectissimos quosque Juvenes recens natis Litteris imbuunt, et ad discendas artes, scientias, ac Linguas quascunque mittunt Athenas, Byzantium, Edessam, Alexandriam, qui aliquot annorum studiis tantos fecere progressus, ut et Graeci eorum eruditioni inviderent. Ab illo tempore habuerunt, uti adhuc habent praecipuis in monasterijs celebrioribus Armeni omnibus saeculis aliquos in sua gente pietate, ac Litteris Claros Viros, qui se universali defectiōni,